DE

PRINCIPIBVS REIPVBLICAE CARTHAGINIENSIS MAGISTRATIBVS.

DISSERTATIO HISTORICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA
RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XIX. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLVII.

PVBLICE DEFENDET

GODOFREDVS WOLFF
RHENANVS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT.

PETRVS LEBER, CAND. PHIL.
ALFREDVS MVELLER, SEM. PHIL. SEN.
IOSEPHVS STEIGER, STVD. IVR. ET THEOL.

BONNAE
TYPIS CARTHAVSIANIS.
MDCCCLVII.

VIRO ILLUSTRISSIMO

IOANNI GUILELMO LOEBELL

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

D. D.

SCRIPTOR.

Carthaginiensis reipublicae forma dubitari nequit quin primis temporibus similis fuerit eius, qua tunc, quum Carthago conderetur, uti solebat Tyrus, quae huius urbis praecipua est origo. Praesertim quum qui huc demigrabant cives Tyrii, divitiis et generis splendore clarissimi, quam maxime ei quem tunc patria habebat gubernationis modo, faverent atque urbem patriam eam tantum ob causam reliquissent, quod istos, qui ibi cum vulgo faciebant, non impedire potuerant, quominus ad res novas consurgerent. Tyri autem inde ab antiquissimis temporibus reges imperabant, quorum potestatem auctoritate duorum senatuum certis terminis circumscriptam et definitam esse legimus. Etiam populi totius concio multum valebat ad res publicas gubernandas.

„Carthaginis autem virtus, ut ait Iustinus[1]), sicut bello clara fuit, ita domi status variis discordiarum casibus agitatus est". Ex qua rerum perturbatione tyrannis evasit. Hanc autem eam imperii formam secutam esse, qua vis omnis fere penes primores civitatis est, Aristoteles his verbis docet[2]): „ἀλλὰ μεταβάλλει καὶ εἰς τυραννίδα τυραννίς, — καὶ εἰς ἀριςοκρατίαν ὥσπερ ἡ Χαριλάου

1) Iustin. XVIII. 6.

2) Aristot. politic. lib V. 10. 3.

ἐν Λακεδαίμονι καὶ ἐν Καρχηδόνι". Fuisse quempiam qui, ut huius reipublicae gubernandae formam satis tutam redderet et diuturnam, certas civitati Carthaginiensi leges constituerit, ex Aristotele facile cognoscitur, qui de singulis Carthaginiensium magistratibus brevi locutus nonnullas res affert, quas quasi depravationem τῆς ἀριστοκρατίας esse iudicat, atque deinde his verbis pergit[1]): „Δεῖ δὲ νομίζειν ἁμάρτημα νομοθέτου τὴν παρέκβασιν εἶναι τῆς ἀριστοκρατίας ταύτην". Unde errasse videtur Heeren, scribens ille[2]): „Einer ausdrücklichen Gesetzgebung, durch welche die Rechte und die Verhältnisse der bestehenden Gewalten der (carthagischen) Republik bestimmt wären, geschieht nirgends Erwähnung".

Huius autem reipublicae Carthaginiensis administrationis quae fuerint singula instituta, pauci adsunt veterum scriptorum libri, unde possit indagari. Quae quidem exposuerat Aristoteles, inter omnes veteres multo aptissimus qui ea et percipiat et describat, in libro περὶ τῶν πολιτειῶν; hic autem liber ad nos non pervenit. In libris, qui inscripti sunt: πολιτικῶν βίβλια ὄκτω, Aristoteles reipublicae Carthaginiensis non accuratam depingere vult imaginem sed demonstrat potius, quoad singula eius instituta ei civitatis formae respondeant, quam ipse quasi absolutam et perfectam sibi finxerat. Nihilominus id, quod in his libris scripsit, ad percognoscendam reipublicae de qua loquimur gubernationis formam maximi

1) Aristot. Pol. lib II. 8. 6.

2) Heeren. Ideen über die Politik, den Verkehr und den Handel der vornehmsten Völker der alten Welt. 2. Theil 1. Abtheilung. Seite 114.

est momenti. Secundum autem obtinent locum, quae in Polybio de Carthaginiensium civitate legimus. Polybio enim accurate percipiendae eius copia erat data, et, quae ingenii huius scriptoris erat subtilitas, in universum quidem satis dilucide eam explicare valebat. His adiungenda sunt, quae de eadem re inveniuntur apud Diodorum, qui Ephorum et Timaeum secutus est, apud Livium, in historiarum libris Iustini, cuius auctorem Trogum Pompeium ex Theopompo et Timaeo hausisse constat. Hi autem tres scriptores quae de reipublicae Carthaginiensis forma et institutis tradiderunt multo minore sunt fide et auctoritate, quam quae Aristoteles et Polybius.

Inter scriptores recentiores, qui ex hisce fontibus rei publicae nostrae imaginem adumbrare sibi proposuerant, primi nominandi sunt Hendreich, Campomânes, Dampmartin, quorum de libris conferas quae brevi animadvertit Boettiger[1]. Deinde autem Heeren[2], Boettiger, Kluge[3], Goettling[4] de eadem hac re disseruerunt. Quos scriptores reipublicae Carthaginiensis formam in universum singulari cum doctrina et sagacitate commentatos esse eamque recte et probabiliter aestimasse, inter omnes pro certo constat. Nec minus apte singula eius instituta, quantum opus erat, ut ea accuratius intellegeremus, cum similibus aliarum civitatum et veterum et

1) Dr. Wilhelm Böttiger. Geschichte der Karthager. Berlin 1827. p. 5—6.

2) A. H. L. Heeren. l. l.

3) Frid. Guil. Kluge. Aristoteles. De Politia Carthaginiensium. Vratislaviae 1824.

4) Carol. Goettling. Aristotelis Politicorum libri octo. Jenae 1823. Excursus III. de republica Carthaginiensium.

recentiorum temporum institutis ab iis comparata esse videmus. Sed quae fontium est natura, unde harum rerum explicatio haurienda erat, fieri non potuit, quin, ad singula quidem quod attinet, in eorum descriptionibus nonnullae res inveniantur, quae utrum probabiliter sint excussae annon, incertus esse possis. Quare mihi non supervacaneum esse videbatur, novam de his rebus instituere quaestionem. Quae autem in hac quaestione maioris momenti esse putabam, plurima ad tres principes reipublicae nostrae magistratus pertinent, ad reges, senatus, collegium centum virorum. Quos igitur magistratus respiciens primum de numero disseram, quot singuli fuerint, et de tempore, quamdiu munere sint perfuncti, deinde de via ac ratione eos elegendi, tum de eorum auctoritate et potentia. Et id quidem ita instituam, ut in priore dissertationis parte reges et senatus, quoniam hi magistratus inter se arctissime cohaerebant, in altera autem centum virorum collegium pertractem; id praecipue agens, ut, quae vera se praebent et certa, idoneis probem argumentis et ab iis rebus, quae verisimiles tantum apparent, quam accuratissime potero decernam. Quae autem conici tantum possunt et divinari, non nisi ut coniecturas et divinationes afferam.

I.

Plures eodem tempore Carthagine fuisse reges ex Aristotelis verbis[1]) constat: „Ἔχει δὲ παραπλήσια τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ (sc. ἡ Καρχεδονίων) τὰ μὲν συσσίτια τῶν ἑταιριῶν τοῖς φιδιτίοις, —[2]) τοὺς δὲ βασιλεῖς καὶ τὴν γερουσίαν ἀνάλογον τοῖς ἐκεῖ βασιλεῦσι καὶ γέρουσιν[1]), τὴν δὲ τῶν ἑκατὸν καὶ τεττάρων ἀρχὴν τοῖς ἐφόροις". Qua ex comparatione regum Carthaginiensium cum regibus Lacedaemoniorum et ex eo, quod simili modo Livius[2]) reges Carthaginienses velut consulare imperium fuisse scribit, Goettling[3]) binos Carthagine reges fuisse concludendum esso censet. Sed in his comparationibus nihil potest inveniri, cur eas tam late patere necesse sit, ut ex iis idem illis attribuendus sit numerus ac regibus Lacedaemoniorum et consulibus, qui erant Romae. Etenim Aristoteles hoc loco quem laudavimus in una eademque enunciatione etiam magistratum centum et quatuor virorum cum Ephoris comparat, quos quatuor aut quinque tantum fuisse scimus. Sin autem Goettling scribit: „Aristoteles regum Carthaginiensium institutionem non differre ab Lacedaemoniorum nisi ratione eligendi asseruit," haud ita prope ad Aristotelis sententiam accessisse

---

1) Aristot. Pol. II. 8. 2.

2) Livius XXX. 7.

3) Goettling. l. l, p. 48?.

videtur. Huius enim verba haec sunt, quibus in loco supra laudato pergit: „καὶ βέλτιον δὲ τοὺς βασιλεῖς μήτε κατὰ τὸ αὐτὸ εἶναι γένος, μηδὲ τοῦτο τὸ τυχόν· ἐι δὲ διαφέρον, ἐκ τούτων αἱρετοὺς μάλλον ἢ καθ᾽ ἡλικίαν; „βέλτιον“ autem sc. ἔχειν notionem non eandem esse ac differre unusquisque intellegit. Gravissimum deinde opinionis suae argumentum, Goettling id esse putat, quod Carthaginienses novum regem alteri regi eodem modo adiunxisse videantur, quo, eius quidem ex sententia, senatum novum adiecerint antiquiori senatus institutioni; unde satis patere, quemadmodum senatus duos sic etiam reges duos electos esse a Carthaginiensibus. Quae autem Goettling in initio disputationis suae [1]) de Carthaginiensium republica quum de novo rege tum de novo senatu explicavit, multo minus argumentis ex veteribus scriptoribus et ex rei ipsius natura haustis sunt confirmata nimisque merae apparent coniecturae, quam ut ea, quae ex iis concluduntur, licet probabilis sit conclusio, fidem et auctoritatem ad se vindicare possint.

Praeter Aristotelem qui formam reipublicae Carthaginiensis attingunt, omnes quidem plures ibi eodem tempore reges fuisse comprobant; numeri autem eorum Nepos [2]) tantum mentionem facit, vel si quis alius vitam Hannibalis scripsit. Hic binos fuisse reges testatur. Et quae Nepotis in rebus huius modi auctoritas est, hunc revera eorum fuisse numerum hoc testimonio ad certum quidem redigi nequit, sed tamen valde fit probabile.

Multo minus accurate, quamdiu munere perfuncti sint Carthaginiensium reges, ex veteribus scriptoribus demonstrari potest. Idem Nepos l. l. reges annuos quot-

1) Goettling. l. l. 481-482.

2) Nepos. vita Hannibalis. c. VII.

annis creatos esse testatur. Sed nescio an Kluge[1]) falsus sit, qui hoc argumento, cui adiungere vult Zonarae enarrationem, annuum regum fuisse magistratum satis confirmari putet. Quominus enim hanc sequamur opinionem, Aristoteles ipse nos impedire videtur; non eo quidem, quod Carthaginiensium reges apud eum cum regibus Lacedaemoniorum comparantur, qui per totam vitam imperare solebant, nam Aristoteles minime, ut Goettling[2]) contendit, pares esse Poenorum reges Spartanorum regibus, nisi quod reges suos creare soliti sint Poeni, affirmare vult, sed scribit tantum[3]): „ἔχει παραπλήσια", et deinde: „καὶ βέλτιον". Sed permagni est momenti, quod Aristoteles inter causas, cur melius se habeant Carthaginienses, ad reges quod attinet, quam Lacedaemonii, de tempore potestatis eorum non loquitur; ad quod recte animadvertit Heeren[4]): „Aristoteles setzt sie mit den spartanischen Königen in Vergleichung und findet nur den einzigen wichtigen (id est: vortheilhaften) Unterschied, dass in Sparta jene Würde in zwei Familien erblich war, dagegen sie in Carthago von der Wahl abhing; wäre sie hier zugleich jährlich erneuert worden, hätte alsdann Aristoteles diese grosse Verschiedenheit wohl unbemerkt gelassen? Quo accedit, quod Cicero[5]) Carthaginiensium reges non tam cum posteris Romanorum consulibus, quam cum antiquissimis eorum regibus comparandos esse putat, quos per totam vitam regnasse nemo nescit.

His ex causis altera evasit opinio, perpetuo reges

1) Kluge. p. 88.
2) Goettling. p. 484.
3) Aristot. Pol. II. 8. 1.
4) Heeren. p. 484.
5) Cicero de rep. II. 23.

Carthaginienses munere suo functos esse; quam profert Goettling, et Heeren[1]) probabilem esse putat. Haec autem non minus gravibus refutanda est argumentis; scribit enim Aristoteles[2]), ubi de singulis Carthaginiensium magistratibus loquitur: „τὸ δὲ τὰς πενταρχίας κυρίους οὔσας πολλῶν καὶ μεγάλων ὑφ᾽αὑτῶν αἱρετὰς εἶναι . . . ἔτι δὲ ταύτας πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων ὀλιγαρχικόν“. Atque licet isti Nepotis notioni, in qua annuam regum Poenorum dominationem nominat, nulla tribuenda sit fides, tamen narratio eius quin omnino sit vera, nihil est cur dubitemus; scribit autem[3]), Hannibalem, Carthaginem ut rediisset, praetorem factum esse, postquam rex fuisset, anno secundo et vicesimo.

Regnarunt igitur Carthaginiensium reges neque per unum tantum annum neque per totam vitam; per quot autem annos regnarint, ex fontibus exquiri nequit. Sed numerum annorum haud ita parvum fuisse iisdem facile apparet ex causis, quas contra opinionem annuam tantum fuisse regum potentiam attulimus; nam si per paucos tantum annos regnassent, neque Cicero eos cum antiquis Romanorum regibus et non cum Consulibus comparandos esse iudicasset, et Aristoteles etiam imperii eorum tempus, quod tunc quoque a Lacedaemoniorum regum imperii diuturnitate tam diversum fuisset, grave aestimasset momentum, cur Carthaginienses ad reges quod attinet aliter, ne dicam melius, se haberent, quam Lacedaemonii.

Senatus collegia duo Carthagine fuisse ex Polybio[4])

---

1) Heeren p. 136.
2) Aristot. Pol. II. 8. 4.
3) Nepos vita Hannib. c. VII.
4) Polybius X. 18.

et Diodoro[1]) evidenter apparet. Hi enim de magistratu τῆς γερουσίας et τῆς συγκλήτου loquuntur ut de duobus inter se diversis magistratibus. Praeterea apud Aristotelem et Iustinum Carthaginiensis cuiusdam collegii nomen invenitur, quod ab hisce nominibus plane differt. Commemorat enim Aristoteles[2]) τὴν τῶν ἑκατὸν ἀρχήν, Iustinus[3]) autem collegium centum iudicum. Livius[4]) de ordine iudicum loquitur. Hoc centum virorum collegium Goettling[5]) idem esse contendit ac collegium τῆς συγκλήτου, quod maius fuisse putat, quam τὴν γερουσίαν. At Iustinus[6]) hoc centum iudicum collegium ex numero senatorum delectum esse enarrat. Heeren hoc collegium non diversum fuisse putat a collegio τῆς γερουσίας, τὴν γερουσίαν autem sanctius habet consilium virorum ex collegio τῆς συγκλήτου delectorum; scribit enim[7]): „Wir können die Gerusia als einen engern Ausschuss aus der Sygcletos betrachten. Eine Stelle aus Livius (XXX. 16) bestätigt diese Ansicht vollkommen. Als die Carthager nach der Gefangennehmung des Syphax Gesandte wegen des Friedens schickten, wählten sie dazu dreissig der Ersten aus ihren Aeltesten. Das war, setzt der Geschichtschreiber hinzu, bei ihnen der engere Rath, der hauptsächlich durch sein Ansehen die Senatsversammlung leitete. — Ueber die Entstehung dieses engern Rathes hat sich eine Nachricht im Iustin erhalten, die uns einen tiefen Blick in die karthagische Verfassung thun lässt.

1) Diodor. XIV. 47; XX. 59.
2) Aristot. Pol. II. 8. 2. 4.
3) Iustin. XIX. 2.
4) Livius XXXIII. 46.
5) Goettling. p. 485.
6) Iustinus XIX. 2.
7) Heeren p. 124—125.

Als das Haus des Mago, sagt er, (Iustin XIX. 2) zu mächtig für die Freiheit ward, wurden aus der Zahl der Senatoren hundert Richter ausgewählt, die von den zurückgekehrten Feldherrn Rechenschaft fordern sollten." Sed quamquam Heeren Livium seniores sanctius apud Carthaginienses fuisse consilium maximamque ad ipsum senatum regendum vim scribentem affert, et Iustinus centum ex numero senatorum iudices delectos esse enarrat, tamen ex hoc sanctius illud consilium et collegium centumvirorum idem fuisse nulla ratione concludi potest. Paulo post Heeren hisce verbis pergit[1]: „Aristoteles nennt die hundert Männer die höchste Behörde; (Pol. II. 8. 4.) Zwar sagt er nicht ausdrücklich, dass diese Hundertmänner einerlei mit der Gerusia seien, er widerspricht diesem aber auch nicht, und aus dem eben erwähnten Ausdruck scheint es vielmehr zu folgen, da man nicht sieht, in welchem Sinne ein solches Centumvirat noch über der Gerusia hätte stehen können." Sed nonne Ephori quoque, quos Aristoteles[2]) cum nostro collegio comparat, ab eodem scriptore[3]) μεγίστη vocantur ἀρχή et revera in Spartanorum civitate summum reipublicae imperium in manibus habebant? Attamen non idem fuere consilium ac γερουσία, quae erat Spartae. Haud rectius conclusum est, quod Kluge[4]) affert, cuius similis est opinio: „Cum omnes res, quae ad summam civitatis gubernationem atque summum imperium pertinerent, primum ad τὴν γερουσίαν deferrentur, recte sequitur, viros huius consilii summos iudices et magistra-

---

1) Heeren. p. 125—127.
2) Aristot. Pol. II. 8. 2.
3) Aristot. Pol. IV. 7. 5.
4) Kluge. p. 109.

tus amplissimos fuisse. Demonstravi autem supra, ordinem centumvirorum non solum de imperatorum rebus gestis, sed etiam de aliis iisque gravissimis causis, quae ad externam gubernationem pertinerent, primum inter se consultavisse et deliberatione facta cum τῇ συγκλήτῳ, quae τὴν γερουσίαν frequentia multo superaret, rem communicasse et tunc demum cum his decrevisse, quae exsequenda essent.“ Sed ut id quod vult Kluge supra [1]) recte demonstravisset, tamen haud opus esset, illud collegium, quod non solum de imperatorum rebus gestis, sed etiam de aliis gravissimis causis, quae ad externam gubernationem pertinebant, consultare atque decernere et id quidem eodem modo quo ἡ γερουσία solitum esset, non diversum fuisse ab eo, ad quod omnes res delatae essent, quae ad summam civitatis gubernationem et ad summum imperium pertinebant. Quo accedit, ut Kluge [1]), ubi de centumvirorum collegio loquitur [1]), ne tentet quidem demonstrare, hoc collegium eodem modo atque τὴν γερουσίαν de rebus sibi allatis primum inter se consultavisse et deliberatione facta cum τῇ συγκλήτῳ rem communicasse et tunc demum cum his decrevisse, quae exsequenda essent.

Sed non solum, ut τὴν γερουσίαν ac collegium centumvirorum eundem habeamus magistratum, nihil nos cogit, verum etiam, ne huic assentiamur opinioni, Aristotelis verba plane nos vetant. Hic enim scriptor [2]) collegium centum et quatuor virorum, quod non diversum esse a collegio centum virorum infra ostendemus, in una eademque enunciatione cum Ephoris Spartanorum comparat, τὴν γερουσίαν autem ut plane ab illo diver-

1) Kluge. p. 49—57.
2) Aristot. Pol. II. 8. 2.

sum collegium cum senatu, qui erat erat Spartae. Et deinde[1]) iterum eodem modo de duobus his magistratibus disserit. Haud minus eorum diversitas ex Livio quoque apparet, ubi hic et de sanctiore consilio loquitur et de iudicum ordine, quales ambo fuerint circa a. u. c. 549 et 557. Scribit enim[2]): „Carthaginienses oratores ad pacem petendam mittunt triginta seniorum principes, id erat sanctius apud illos consilium maximaque ad ipsum senatum regendum vis" et deinde[3]): „Iudicum ordo Carthagine ea tempestate dominabatur eo maxime, quod idem perpetui iudices erant; res, fama vitaque omnium in illorum potestate erant. Qui unnm eius ordinis offendisset, omnes adversos habebat, neque accusator apud infensos iudices deerat. Horum in tam impotente regno — neque enim civiliter nimiis opibus utebantur, — praetor factus Hannibal". Ita certe Livius scribere non potuisset, si *τὴν γερουσίαν* et collegium iudicum eundem habuisset magistratum. Neque etiam Iustinus, si hanc probasset sententiam, hoc nullo modo significaturus fuisse videtur; scribit autem nihil nisi[4]): „Deinde quum familia tanta imperatorum gravis liberae civitati esset omniaque ipsi agerent simul et iudicarent, centum ex numero senatorum iudices deliguntur, qui reversis a bello ducibus rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent, ut domi iudicia legesque respicerent."

De numero *τῆς συγκλήτου* ne coniecturam quidem ex libris veterum scriptorum facere possumus, etiam de

1) Aristot. Pol. II. 8. 3—4.
2) Livius XXX. 16.
3) ibidem XXXIII. 46.
4) Iustin. XIX. 2.

numero τῶν γερουσιαστῶν nihil certi affirmari potest. Goettling [1]) triginta eos fuisse, vel potius, ut dicit Mommsen [2]), viginti octo, ex eo loco non inepte censet augurari, ubi Aristoteles [3]) senatum Carthaginiensium cum Lacedaemoniorum senatu comparat. At licet Aristoteles verbo „οἱ γερόντες" τὴν γερουσίαν tantum et non totum intellexerit senatum, cuius ἡ γερουσία sanctius tantum fuit consilium, tamen ex eo, quod eadem in comparatione etiam ordinem centum et quatuor virorum cum Ephoris comparat, quos quatuor aut quinque tantum fuisse scimus, satis apparet, hanc augurationem, quam profert Goettling, non aptiorem esse, quam istam, qua numerum regum Carthaginiensium ex comparatione eorum cum regibus Lacedaemoniis statuere volebat. Praeterea Polybius [4]) huic coniecturae plane repugnat, qui scriptor enarrat, tempore quodam ex τῇ γερουσίᾳ Carthaginiensium triginta electos esse, qui legationem susciperent. Qua de enarratione Goettling haec profert: „Quod ibi τριάκοντα τῆς γερουσίας προχειρισάμενοι dicitur, id pro more Polybii factum est, qui in rebus politicis non perspicacissimum se praebet." Sed neque hoc omnino de Polybio in rebus politicis tam late licet affirmare, neque etiamsi liceret, ad hunc locum, ubi Polybius nihil nisi factum aliquod commemorat, ulla ratione attinere posset. Alium conicit τῆς γερουσίας numerum Boettiger [5]) his verbis: „Da aber der Ausschuss der Hundertmänner aus dem Senate gewählt wurde, und die häufigen und

1) Goettling p. 485.
2) Mommsen. Römische Geschichte. Erster Band p. 320. (erste Auflage.)
3) Aristot. Pol. lib II. 8. 2.
4) Polyb. lib. I. 87.
5) Boettiger p. 48.

zahlreichen Gesandtschaften der Senatoren eine bedeutende Zahl voraussetzen lassen, so kann man vielleicht nicht mit Unrecht annehmen, dass sich die Mitglieder desselben wenigstens auf dreihundert beliefen." Sed nihil te impedit, quin putes, centum viros in collegio senatus mansisse neque minus quam ceteros senatores ad legationes adhiberi potuisse; neque plures legationes magni numeri uno eodemque tempore ex senatu electos esse usquam legimus.

Haec quoque quaestio, quamdiu munere suo perfuncti sint senatores, ex veterum scriptoribus diiudicari nequit. Sed vim et auctoritatem quam habebant in res publicas gubernandas respicientes Heeren [1]) atque Mommsen) [2] hanc quaestionem absolvere tentarunt. Quam dubiae autem conclusiones huius generis sint, horum virorum iudicii diversitas optime nos docet. Heeren per totam vitam in munere eos mansisse sibi persuadet, Mommsen per unum tantum annum.

Magistratus, de quibus adhuc disputavimus, qua ratione adepti sint munera publica quibus fungi solebant, duo Aristotelis loci certiores nos faciunt; ubi legimus [3]): „*Παρεκβαίνει δὲ τῆς ἀριςοκρατίας ἡ τάξις τῶν Καρχηδονίων μάλιςα πρὸς τὴν ὀλιγαρχίαν κατά τίνα διάνοιαν, ἣ συνδοκεῖ τοῖς πολλοῖς, οὐ γὰρ μόνον ἀριςίνδην, ἀλλὰ καὶ πλουτίνδην οἴονται δεῖν αἱρεῖσθαι τοὺς ἄρχοντας, ἀδύνατον γὰρ τὸν ἀποροῦντα καλῶς ἄρχειν καὶ σχολάζειν*", et

---

1) Heeren. p. 123.
2) Mommsen. p. 320.
3) Aristot. Pol. II. 8. 5.

deinde[1]): „ὅπου οὖν ἡ πολιτεία βλέπει εἴς τε πλοῦτον καὶ ἀρετὴν καὶ δῆμον, οἷον ἐν Καρχηδόνι, αὕτη ἀριστοκρατική ἐστιν.“ Ex his locis Goettling rem qua de loquimur ita exponendam esse putat[2]): „Primum et regem et senatum ex nobilioribus gentibus elegere, deinde vero, quum res Carthaginiensium et opibus crevissent et divitiis, multis ex plebe honeste rem quaerentibus magna et copiosa mercatura, fieri non potuit, quin etiam divitiae suum sibi poscerent honorem. — Hinc factum, ut ab initio regem alterum ex optimatibus nobili loco natis, alterum ex iis primoribus eligerent, qui divitias sibi parassent.“ De altero autem Aristotelis loco hoc modo loquitur[3]): „Ut antiquior ille senatus nobilitate stirpium fundatus erat, sic in novum senatum non legebantur, nisi qui divitiis pollerent. Addita tandem comitia sunt, ne plebs iure suo destitueretur neve invidia mota exsurgeret. Hinc explicationem suam nanciscitur locus Aristotelis (IV. 5. 11.) ὅπου οὖν ἡ πολιτεία βλέπει εἴς τε πλοῦτον (Senatum centum et quatuor virorum innuit) καὶ ἀρετὴν (senatum antiquiorem et reges in animo habet) καὶ δῆμον (comitia intellegit)“. Quantopere in hac expositione erret Goettling, iam inde apparet, quod huiusmodi creatio magistratuum omnino in nulla civitate fieri potest; id quod ipse Goettling partim intellexisse videtur, quia, ubi regem alterum ex iis primoribus electum esse iudicat, qui divitias sibi parassent, his verbis pergit[4]): „sed ita tamen, ut is apto ad res gerendas ingenio polleret“. Alterum autem regem ex optimatibus

1) ibid. IV. 5. 11.
2) Goettling p. 483.
3) Goettling p. 482.
4) ibid. p. 483

nobili loco natis electum non video quomodo Goettling credere potuerit munere suo honeste et bono cum eventu perfungi potuisse, nisi divitiis instructus fuisset; qua de re Aristotelem ipsum eodem modo iudicantem vidimus.

Sed mittamus haec, neque res ceteras respicere placet, quae in sententiis ipsis, quas Goettling profert, earum probabilitati repugnare videntur; Aristotelis ea locis laudatis iam satis refutantur. Nam qui huius scriptoris verba obiter tantum legit, statim notiones *πλουτίνδην* et *ἀριςίνδην* ad unam eandemque creationem referendas esse videt; ac quomodo Aristoteles, nisi hac ratione ea intellegi voluisset, his verbis pergere potuisset[1]? „*εἴπερ οὖν τὸ μὲν αἱρεῖσθαι πλουτίνδην ὀλιγαρχικόν, τὸ δὲ κατ' ἀρετὴν ἀριςοκρατικόν, αὕτη τις ἂν εἴη τάξις τρίτη, καθ' ἥνπερ συντέτακται καὶ τοῖς Καρχηδονίοις τὰ περὶ τὴν πολιτείαν, αἱροῦνται γὰρ εἰς δύο ταῦτα βλέποντες, καὶ μάλιςα τὰς μεγίςας, τούς τε βασιλεῖς καὶ τοὺς στρατηγούς*". Altero autem loco Aristotelem[2]) in verbo *πλοῦτον* non senatum centum et quatuor virorum indicasse neque in verbo *ἀρετήν* senatum antiquiorem et reges in animo habuisse neque denique in verbo *δῆμον* intellexisse comitia, sed omnia haec verba ad unius eiusdemque magistratus elegendi viam et rationem referenda esse, ex verbis Aristotelis, quae his antecedunt, facile intellegitur; nec minus quae ea sequuntur hanc probant interpretationem.

Si Boettiger[3]), reges quidem creari solitos esse concedens, senatores munus non creatione sed haereditate

---

1) Aristot. Pol. II. 8. 5.
2) ibid. IV. 5. 10—11.
3) Boettiger p. 48.

adeptos esse sibi vult persuadere, veterum testimoniis haec opinio defendi nequit, nisi forte eo, quod Aristoteles, ubi de ratione Carthaginienses magistratus creandi loquitur, inter hosce magistratus senatores non enumeret; sed tantum abest, ut hac via haec coniectura revera possit comprobari, ut ne hoc quidem pro certo constet, in senatus creatione Carthaginienses nobilitatem stirpis inprimis respexisse, quam opinionem secutus est Heeren[1]. Ἡ ἀρετή quidem praeter divitias et populi gratiam secundum Aristotelis verba in creatione maximi erat momenti, τὴν ἀρετὴν autem hunc scriptorem l. l.[2]) non de nobilitate gentis, quam Goettling respexit, ut vidimus, sed de hominis ipsius virtute et bonitate intellexisse, ex eo apparet, quod ad definiendam τὴν ἀριστοκρατίαν l. l. affert: „τὴν γὰρ ἐκ τῶν ἀρίστων ἁπλῶς κατ' ἀρετὴν πολιτείαν, καὶ μὴ πρὸς ὑπόθεσίν τινα ἀγαθῶν ἀνδρῶν μόνην δίκαιον προσαγορεύειν ἀριστοκρατίαν". Simili modo interpretandum esse verbum ἀριστίνδην per se elucet; quod recte vertit Heeren[3]): „nach Ansehen," atque addit: „Das Ansehen floss aus den persönlichen Vorzügen jeder Art. Die Geburt konnte dazu beitragen, gab es aber nicht allein und durch sich selber." Hoc tam apertum est, ut ipse Goettling non possit, quin alio disputationis suae loco ἀριστίνδην hisce vertat verbis: „pro morum praestantia."

Restat, ut etiam quaeramus, quo modo et a quibus singuli Carthagine creati sint magistratus. Quod attinet ad priorem quaestionem, veterum scriptores nullius alius magistratus electionem enarrant, quam ducum. Hos au-

1) Heeren. p. 117.
2) Aristot. Pol. IV. 5. 10—11.
3) Heeren. p. 118.
4) Goettling. p. 486.

tem ex Diodoro[1]) a senatu designatos et populo commendatos esse intellegimus; elegebant eos Carthaginienses. Ex rei ipsius natura autem verisimile est, ceteros quoque magistratus Carthagine eodem modo creatos esse. Civium deinde in hac re vim et auctoritatem magnam fuisse, et in populo inprimis sitam esse potestatem creandi, a nullo quidem veterum scriptorum certis verbis affirmatur, sed ex multis eorum locis aliqua cum probabilitate conici potest. Polybius[2]) enim Carthaginiensium civitatem cum Lacedaemoniorum et Romanorum republica, ubi hanc potestatem inprimis apud populum fuisse scimus comparandam esse censet; et Aristoteles[3]) eorum civitatem — quae quidem probabilior est lectio — vel δημοκρατουμένην esse iudicat. Quo accedit, ut in eodem scriptore[4]) legamus, Carthagine in elegendis magistratibus praeter divitias et virtutes etiam auram popularem respectam esse. Maximum autem est argumentum, quod Polybius[5]) honores in hac urbe Carthaginiensi palam largitione redemptos esse affirmat, quod certe fieri non potuisset, nisi apud populum fuisset eos distribuere.

Potestatem regum et duorum senatuum Carthaginiensium veterum scriptores paucis verbis et in universum tantum descripserunt. Reges Aristoteles[6]) magna

1) Diodor XV. 15. et XX. 10.
2) Polyb. VI. 49.
3) Aristot. Pol. V. 10. 4.
4) ibid. IV. 5. 11.
5) Polyb. VI. 54.
6) Aristot. Pol. II. 8. 2.

instructos fuisse affirmat potentia, Livius[1]) summum Poenis fuisse magistratum; senatum totum Polybius[2]) optimatibus convenientem potestatem habuisse enarrat; τῇ γερουσίᾳ Livius[3]) maximam fuisse dicit ad ipsum senatum (ut hic scriptor totum appellat senatum) regendum vim et auctoritatem. Deinde magistratuum nostrorum potestatem etiam ex comparationibus, quas veteres inter Carthaginiensium aliarumque gentium magistratus instituunt, in universum quidem cognoscere possumus. Comparat autem Aristoteles[4]) reges et senatum Carthaginiensium cum regibus et τῇ γερουσίᾳ Lacedaemoniorum; reges apud Diodorum[5]) βασιλεῖς et apud Livium[6]) velut consulare imperium vocantur. Quae deinde haec potestas in singulis rebus fuerit, non nisi ex earum rerum gestarum enarratione hauriri potest, in quibus eos hac ipsa potestate usos esse videmus. Legimus autem apud Diodorum[7]), aliarum gentium praecones ad senatum Carthaginiensem missos esse, et apud Polybium[8]), reges senatui praesidentes eos accepisse et allocutos esse. Idem duobus locis tradit Livius[9]). Tum Polybius[10]) senatum ex suo collegio Carthaginiensium legatos elegisse et ad alias gentes misisse enarrat; et Livius[11]) triginta senio-

1) Livius XXX. 16.
2) Polybius VI. 49.
3) Livius. XXXIII. 37.
4) Aristot. Pol. II. 8. 2.
5) Diodor. XIII. 43.
6) Livius XXX. 7.
7) Diodor. XIV. 47.
8) Polyb. III. 33.
9) Livius XXXIII. 47 et XXXIV. 61.
10) Polyb. I. 68.
11) Livius. XXX. 16.

rum principes ad pacem petendam in Romanorum castra missos esse scribit. Deinde apud eundem Livium [1]) et apud Diodorum [2]) reges et senatum convocatos esse videmus, ut de bello consulerent; consulunt autem praeter alia etiam de ea quaestione, quantae in bello gerendo adhibendae sint copiae; senatus, exempli gratia, consilium capit, ut in Diodoro [2]) legimus, ut tres emittantur exercitus. Item a senatu candidatos, quos duces crearet, populo Carthaginiensi designatos et commendatos esse iam supra ex Diodoro [3]) vidimus: Duces autem secundum Polybium [4]) nonnulli ex numero τῶν γερουσιαστῶν in castra sequi solebant, quo melius, quid illi agerent, animadvertere possent. Alio loco Polybius [5]) triginta senatores emissos esse enarrat, qui Carthaginiensium imperatores inter se dissociatos in concordiam reducerent.

Ex his, quae in rebus externis regum et senatorum fuerit potestas, facile perspicitur, quae autem in rebus internis, quum apud veteres res gestas, ubi ea utantur, nullas fere enarratas esse invenias, non nisi in universum et ex locis supra de tota eorum potentia citatis et si cum ea comparamus, quam habebant in rebus externis, conicere possumus. Probabilia autem videntur, quae de hac re animadvertit Heeren [6]). „Der Senat hatte den grössten Theil der gesetzgebenden Gewalt in Händen, denn gewiss war nichts an das Volk gebracht, über welches er nicht schon berathschlagt hatte. — Dass er die Sorge für die Sicherheit der Stadt, und die Ober-

1) ibid. XXX. 7 et 24.
2) Diodor. XX. 59.
3) ibid. XX. 10.
4) Polyb. X. 18.
5) Polyb. I. 87.
6) Heeren. p. 131.

aufsicht über die Staatseinkünfte hatte, darf man nicht weniger mit grosser Wahrscheinlichkeit annehmen. Es gehörte wesentlich zum Character der Aristocratie."

Reliquum est, ut quaeramus, quae in hac potestate perfungenda regum et τῆς γερουσίας et τῆς συγκλήτου inter se fuerit conditio. Qua de re eos, qui nostris temporibus de republica Carthaginiensi scripserunt, quum veteres pauca tantum nos doceant, valde dissentire videmus. Primum Goettling[1]) de collegio τῆς γερουσίας ita disserit: „Quum pro singulis regibus bini instituti essent, et novus senatus adiectus esset antiquiori, ad gerusiam tantum rerum externarum moderatio pertinuit." De altero regum Carthaginiensium quae adnotat idem scriptor, haec sunt: „Huic igitur (sc. gerusiae) alter ille rex, quem sagatum diximus, praefuisse videtur. Ita enim Polybius III. 33. „ὁ δὲ πρεσβύτατος αὐτῶν (τῶν πρέσβεων τῶν Ῥωμαίων) δείξας ἐν τῷ συνεδρίῳ (gerusiam innuit) τὸν κόλπον· ἐνταῦθα καὶ τὸν πόλεμον αὐτοῖς, ἔφη, καὶ τὴν εἰρήνην φέρειν. — Ὁ δὲ βασιλεὺς τῶν Καρχηδονίων, ὁπότερον αὐτοῖς φαίνοιτο, τοῦτ' ἐκβαλεῖν ἐκέλευσε." Nonnulli quidem apud veteres scriptores praesertim apud Polybium et Diodorum inveniuntur loci, ubi eum has res, quas vult Goettling, ministrare videmus, ex nullo autem loco hoc aut unicum eius fuisse munus aut in τῆς γερουσίας tantum manibus positum esse apparet; imo enarrat Diodorus[2]), litteras quibus instructos praecones externi reges ad Carthaginienses miserant primum in collegio τῆς γερουσίας, deinde autem in collegio τῆς συγκλήτου recitatas esse; et in alio loco[3]) eiusdem scriptoris totum

1) Goettling. p. 485.
2) Diodor. XIV. 47.
3) Diodor. XX. 59.

senatum consilium capere videmus, ut tres contra hostes a Carthaginiensibus exercitus mittantur. Neque etiam Polybium l. l. in significatione: ἐν τῷ συνεδρίῳ gerusiam tantum, ut vult Goettling, innuisse ullo modo demonstrari potest. Quod autem Goettling τῇ γερουσίᾳ regem sagatum praefuisse putat, ex Polybii l. l. neque uter fuerit hic rex, quem in illa enarratione toti senatui (τῷ συνεδρίῳ) praepositum esse vidimus, neque unius tantum regis fuisse τῇ γερουσίᾳ praesidere ullo modo assequi possumus. Ad quam quod attinet rem recte monet Boettiger[1]): — „Man nimmt an, dass in derselben deshalb nur von Einem die Rede ist, weil doch nur Einer jedesmal den Vorsitz haben konnte."

Deinde Goettling[2]) τῆς συγκλήτου officia exponere incipit: „At internarum rerum curam ordo iudicum, qui dicitur Livio, vel σύγκλητος suscepisse ita videtur, ut de rebus internis, quas diximus, cum gerusia communicaret. — Atque sicut rex alter gerusiae praeesset, ita praetor praefuisse videtur iudicum ordini." Paulo post ita pergit: „Hic senatus omnes causas tam publicas quam privatas dirimere solebat, unde iudicum ordo est dictus a Romanis." Sed haec descriptio omni caret probatione et praeterea eo, quod hic ab iudicum ordine ἡ σύγκλητος non discernitur, recta esse omnino non potest. Heeren atque Kluge de eadem hac re in universum tantum loquuntur, sed etiam hi, quum collegium centum virorum idem fuisse contendant ac τὴν γερουσίαν, valde errent, necesse est, quoniam hanc secuti opinionem ea, quae de illo tantum collegio affirmari possunt, ad τὴν γερουσίαν quoque referunt.

1) Boettiger p. 46.
2) Goettling p. 485—486.

Conditionem et potentiam singulorum de quibus loquimur magistratuum recte indagare et describere qui studet, omnes quae a veterum scriptoribus enarrantur res gestas, ubi reges et duos senatus agentes esse vidimus, diligenter perscrutari debebit. Ex his autem apparet, in omnibus externis et internis negotiis totum tantum senatum decreta capere potuisse; quae nescio an a collegio τῆς γερουσίας, si sola conveniebat, antea deliberari solita fuerint. Reges autem et toti senatui et τῇ γερουσίᾳ praesidebant. Quorum vim in senatum Mommsen [1]) ex tota reipublicae Carthaginiensis conditione minimam tantum fuisse putat, Heeren [2]) permagnam. Hanc, quam Heeren profert sententiam, Aristoteles [3]) quoque probare videtur, quum de regibus Carthaginiensium et Lacedaemoniorum locutus ita pergat: „μεγάλων γὰρ κύριοι καθεστῶτες"; quo accedunt quae paulo post sequuntur: „τοῦ μὲν (γὰρ) τὰ μὲν προσάγειν, τὰ δὲ μὴ προσάγειν πρὸς τὸν δῆμον οἱ βασιλεῖς κύριοι μετὰ τῶν γερόντων ἂν ὁμογνωμονῶσι πάντες· εἰ δὲ μή, καὶ τούτων ὁ δῆμος".

1) Mommsen. p. 320.
2) Heeren p. 134.
3) Aristot. Pol. II. 8. 2. 3.

II.

Praeter reges et senatum Carthaginiensem Aristoteles[1]) collegium centum virorum commemorat, quod neque idem ac τὴν σύγκλητον, ut vult Goettling, neque idem ac τὴν γερουσίαν, ut Heeren et Kluge contendunt, fuisse iam supra vidimus. Creabant autem hoc collegium, ut scribit Aristoteles l. l. αἱ πενταρχίαι, a quibus unde creari solitum fuerit, certiores nos facit Iustinus[2]), cuius verba haec sunt: „Deinde cum familia tanta imperatorum gravis liberae civitati esset, omniaque ipsi agerent simul et iudicarent; centum ex numero senatorum iudices deleguntur, qui reversis bello ducibus rationem rerum gestarum exigerent, ut hoc metu ita in bello imperia cogitarent ut domi iudicia legesque respicerent“. Ex hoc loco etiam, quid primis quidem temporibus centumvirorum fuerit munus, intellegitur. Iam Aristoteles[1]) eos τὴν μεγίστην vocat ἀρχήν, et Livius[3]) enarrat, ordinem iudicum Carthagine a. u. c. 537 dominasse, et res, famam vitamque omnium in eorum potestate fuisse, et prae eorum superbia ex sententia Hannibalis nec leges quicquam fuisse nec magistratus.

Aristoteles[4]), ubi Carthaginienses magistratus cum

---

1) Aristot. Pol. II. 8. 3.

2) Iustin. XIX. 2.

3) Livius XXXIII. 46.

4) Aristot. II. 8. 2. 3.

iis, qui Spartae erant, comparat, collegii mentionem facit, quod vocat *τὴν τῶν ἑκατὸν καὶ τεττάρων ἀρχήν*, et id cum Ephoris comparat; qua ex comparatione, quae eius vis fuerit et auctoritas in totius Carthaginiensis reipublicae gubernationem, evidenter apparet. Hoc autem collegium omnes fere, qui Aristotelis libros interpretati sunt, idem habuere atque id, quod paulo post „*ἡ τῶν ἑκατὸν ἀρχή*“ significatum esse invenimus, sed non tam certis ducti causis quam ex coniectura potius. Quorum opinionem agressus est Kluge [1]); sunt autem eius verba haece: „Vehementer miratus sum, omnes fere interpretes inde a Victorio et Hendrico usque ad recentiores hoc collegium centum virorum et concilium centum et quatuor virorum pro uno eodemque habuisse. Dubia nonnisi, quantum ego scio, duumviri praeclari Heerenus (Ideen etc. 3. vermehrte Auflage 1815 2. Th. p. 138. Note 3.) et Wachlerus (Wachler's Lehrbuch der Geschichte, zweite verbesserte Auflage 1820 p. 101.) moverunt, sed in descriptione Punicae civitatis ad hanc diversitatem respicere non placuit viris doctis, quod non exstare luculenta documenta videntur, quibus haec differentia confirmetur, quae mihi Aristotelis verba interpretanti et cum aliis conferenti omnino certa est atque probata. Hoc enim capite philosophus de *centum et quatuor* viris loquitur, capite XI (hoc in capite Kluge locum Aristotelis II. 8. 3 interpretatur) de *centum* viris; *illos* cum Ephoris confert, *hos* singulare quoddam concilium dicit, peculiari cuidam consilio constitutum; *illos* ex viris virtute insignibus (*ἀριστίνδην*) ab omnibus civibus ex cuncta civitate electos testatur, hos a quinqueviratibus creatos ex senatoribus commemorat; *illos* simpliciter *ἀρχήν* appellat,

1) Kluge p. 48.

hos cum gravitate *τὴν μεγίϛην ἀρχήν* nuncupat, *illos* gerere magistratum narrat, non definiens, utrum hic fuerit perpetuus, an certum tantum tempus duraverit, *hos* diutius quam ceteros magistratus munere suo functos esse, attamen *post aliquod* tempus abdicasse declarat. Quum haec indicia ex Aristotele ipso petita et inter se collata sint, optimo iure concludo diversa haec fuisse collegia et philosophum evidenter ea distinxisse, cum de centum et de centum et quatuor viris locutus sit. Etenim nimis subtilis est opinio eorum qui affirmant, Aristotelem brevitatis causa in altero loco centum viros pro centum et quatuor viris posuisse, ut pleno et rotundo numero uteretur. Si tale quid voluisset, cur in loco de quo disputamus numerum quatuor addidit philosophus, in verbis semper tam parcus?" Etsi haud ita sit difficile ad demonstrandum, in omnibus his indiciis, unde optimo iure id quod vult concludi sibi persuasit Kluge, nihil fere inveniri posse, quod eam quam facit conclusionem comprobet, tamen, priusquam de eius iure inquiramus, id respicere placet, utrum singula quae attulit indicia, revera quoque ex Aristotelis verbis sint petita annon. Legimus autem apud Aristotelem de collegio centum virorum et centum et quatuor virorum nihil nisi haec[1]): „*Ἔχει δὲ παραπλήσια τῇ Λακωνικῇ πολιτείᾳ* (sc. *ἡ Καρχηδονίων πολιτεία*) *τὴν τῶν ἑκατὸν καὶ τετάρων ἀρχὴν τοῖς Ἐφόροις* (*πλὴν οὐ χεῖρον οἱ μὲν ἐκ τῶν τυχόντων εἰσὶ, ταύτην δ' αἱροῦνται τὴν ἀρχὴν ἀριςίνδην*)". et „*Τὸ δὲ τὰς πενταρχίας κυρίας οὔσας πολλῶν καὶ μεγάλων ὑφ' αὑτῶν αἱρετὰς εἶναι καὶ τὴν τῶν ἑκατὸν ταύτας αἱρεῖσθαι τὴν μεγίϛην ἀρχήν, ἔτι δὲ ταύτας πλείονα ἄρχειν χρόνον τῶν ἄλλων* (*καὶ γὰρ ἐξεληλυθότες ἄρχουσι καὶ μέλλοντες*)

1) Aristot. Pol. II. 8. 2. 3.

ὀλιγαρχικοί“. Inde autem minime apparet, Aristotelem testari collegium centum et quatuor virorum singulare quoddam esse concilium peculiari cuidam consilio constitutum; neque etiam ex his verbis colligi potest, centum viros ab omnibus civibus ex cuncta civitate electos, centum et quatuor viros autem ex senatoribus creatos esse. Sin autem Kluge Aristotelem scribentem facit, centum et quatuor viros diutius quam ceteros magistratus munere suo functos esse, attamen post aliquod tempus abdicasse, Aristotelem certe false interpretatus est; id enim, quod in hoc scriptore l. l. de hac re legimus, non ad collegium centum et quatuor virorum sed ad τὰς πενταρχίας referendum est. Quibus igitur remotis indiciis quae restant revera ex Aristotele petita, si inter se confers, nihil habent, unde concludi possit, opus esse, diversa haec fuerint collegia de quibus loquimur. Centum enim et quatuor viros Aristoteles μεγίςην quidem vocat ἀρχήν, sed quid impedit, quin etiam Ephoros, quibuscum centumviros comparat, μεγίςην vocemus ἀρχήν; tum centumviros simpliciter appellat ἀρχήν, centum autem et quatuor viros τὴν μεγίςην nuncupat ἀρχήν., sed illos ἀρχὴν tantum appellat, quoniam, ubi de illis loquitur, accuratiore significatione non opus est; quum autem eo loco, quo hos commemorat, τῶν πενταρχίων auctoritas accuratius sit describenda, eum quem hi eligebant quinqueviri magistratum significans hac utitur appellatione. Quod denique Aristoteles scribit, centumviros ἀριςίνδην creatos esse et centum et quatuor viros a collegio τῶν πενταρχίων, etiam hic nulla apparet diversitas, nam neque, ubi centumvirorum mentionem facit, Aristoteles quinam Carthaginienses, neque, ubi centum et quatuorvirorum, qua ex ratione crearint hoc collegium, demonstrat. Alio loco libri sui Kluge[1]) opinionem suam etiam officiorum diversitate,

1) Kluge p. 52 et 53.

quibus ambo de quibus loquitur collegia perfuncta esse putat, brevi affirmare contendit, scribens ille: „Secundum Iustini et Aristotelis narrationem centumviri ex senatu a quinqueviratibus elegebantur, ut iudicia de summis ducibus exercerent et negotia publica potissimum externa administrarent. Sed his muneribus totius civitatis administratio non continetur; restat magna officiorum pars, quae suscipienda sunt a magistratibus in republica bene constituta, et Lacedaemone ab Ephoris quoque exercitata sunt; civilem iuris dictionem dico.“ — Postquam deinde causas attulit, cur Carthagine ad haec negotia administranda maiore opus fuerit iudicum numero, quam Spartae, his verbis pergit: „Itaque opus erat centum et quator virorum collegio, qui haec iudicia civilia exercerent, et de causis tam publicis quam privatis quaestionem haberent, quarum multitudo tanta erat, ut alios magistratus et publica munera administrare nequirent“. Sed etsi haud ita facile evidenter demonstrari possit, penes quem alium Carthagine fuerint iudicia civilia, tamen nihil est, cur, quum in manibus centum virorum non fuerint, collegium centum et quatuor virorum iis perfunctum esse sit necesse. Sin autem hoc centum et quatuor virorum officium fuisse non pro certo potest demonstrari, etiam ex hac re nullum hauriri potest indicium, cur hoc collegium idem esse non potuerit atque ordo centum virorum.

Tantum abest, ut quidquam inveniri possit, unde, diversa haec de quibus loquimur collegia fuerint, opus esse satis appareat, ut, si Aristotelis verba accuratius perlustramus, grave nobis occurrere videatur momentum, quo ut ea unum idemque collegium habeamus, prorsus cogamur. Comparat enim Aristoteles collegium centum et quatuor virorum cum Ephoris. Qua in comparatione Kluge, ut vidimus, scriptorem id praecipue respexisse

putat, quod Ephori Lacedaemone civilem iuris dictionem exercitarint, quem Heeren quoque secutus est, quum scribat[1]): „Er vergleicht dieses Colleg (der Hundertviermännner) mit dem der Ephoren in Sparta und bemerkt dabei nur die Verschiedenheit, dass diese aus allen Volksklassen, die Hundertviermänner aber aus den Angesehensten gewählt seien. — Aus der Vergleichung mit den Ephoren ergiebt sich aber auch, dass dies Collegium ein hoher Gerichtshof für die Privatrechtspflege war". Iurisdictio civilis prioribus quidem temporibus praecipuum erat munus, quo Ephori fungebantur, nec non Aristotelis quoque tempore adhuc in manibus eorum fuisse ex ipso hoc scriptore intellegitur[2]). Hoc autem negotium tunc, quae tota huius magistratus Lacedaemone erat conditio, minoris tantum fuisse momenti, unus quisque videt; Aristoteles enim de vi et auctoritate quam eius tempore habebant Ephori, hisce verbis disserit[3]): „ἡ ἀρχὴ (sc. ἡ ἐφορεία) κυρία μὲν αὐτὴ τῶν μεγίςων αὐτοῖς (sc. τοῖς Σπαρτιάταις) ἐστίν." et paullo post:[4]) „δόξειε δ'ἂν ἡ τῶν ἐφόρων ἀρχὴ πάσας εὐθύνειν τὰς ἀρχάς." Alio loco idem scriptor ita dicit[5]): „ἔτι τῷ δύο τὰς μεγίςας ἀρχὰς τὴν μὲν αἱρεῖσθαι τὸν δῆμον, τῆς δὲ μετέχειν· τοὺς μὲν γὰρ γέροντας αἱροῦνται, τῆς δ' ἐφορείας μετέχουσιν." Quae quum ita sint, certe nemo contendet, cum Ephoris Aristotelem collegium comparare potuisse, cuius praecipuum vel potius unicum fuisset munus, ut iudicia civilia exerceret. Sed si ea respicimus, quae supra de collegio centum virorum collegimus,

1) Heeren p. 141.
2) cfr. Aristot Pol. III. 1. 7.
3) Aristot. Pol. II. 4. 14.
4) ibid II 4. 18.
5) ibid. IV. 7. 5.

dubitari nequit, quin scriptor in hac comparatione hoc ipsum collegium, quod infra vocat τὴν τῶν ἑκατόν, in animo habuerit. Id quod Kluge[1]) eo magis intellegere debebat, quoniam ipse in disputatione de conviviis Carthaginiensium, quae Aristoteles cum phiditiis Lacedaemoniorum comparat, ex opinione tantum, quam Aristoteles de phiditiis habuerit, hanc comparationem aestimandam esse censet.

Sed restat una adhuc difficultas, quae in nominum diversitate posita est, quibus Aristotelem ad collegium de quo disserimus significandum usum esse videmus. Quam nescio an Goettling[2]) satis probabiliter infregerit, quum scribat: „Quodsi praeter centum et quatuor viros etiam centum virorum quoddam collegium ab Aristotele memorari videtur, id si non differre a senatu centum et quatuor virorum dicimus, mirum ei non videbitur, qui pro quinque millibus et quadraginta Platonis civibus ab Aristotele quinque tantum millia memorari meminerit"; Certe non est, cur dubitemus, quin scriptor, ubi iterum de eodem collegio loquitur, indulgentia quasi in hac re tam exigua ductus hac minus accurata significatione facile uti potuerit. Sed utcunque de hac re cogitas, haec difficultas profecto non tanti momenti esse videtur, ut inde, quae de nominibus centum virorum et centum ac quatuor virorum exposuimus, satis probabiliter refutari possint.

1) Kluge p. 44.
2) Goettling p. 485. cfr. Aristot. Pol. II. 3. 3.

VITA.

Natus sum *Ioannes Godefredus Wolff* Marcoduri ante diem V Idus Martias anni MDCCCXXXIV patre *Gerardo* matre *Margaretha* e gente *Baum.* Primis literarum elementis imbutus per octo annos gymnasio usus sum Marcodurano; anno MDCCCLIII exeunte in almam universitatem literarum Bonnensem me contuli, cuius per octies sex menses civis primum per biennium in doctrinis philosophicis et theologicis versatus sum, deinde studiis historicis me dedi, praeterea per quatuor hos annos quantum pro studiorum meorum ratione opus erat rebus philologicis operam navavi.

In gymnasio directore *Meiring*, viro illustrissimo praeceptores habui *Elvenich Goebel Hagen Klein Ritzefeld* alios; Bonnae autem viri illustrissimi quos disserentes audivi fuere *Brandis Clemens Cornelius Dahlmann Delius Diez Heimsoeth Hilgers Iahn Knoodt Loebell Monnard Nadaud Overbeck Reusch von Riese Ritschl Schmidt Schopen Simrock Velten Welcker* alii.

Quibus omnibus quum gratias ago maximas tum praecipue grato et pio animo mihi colendus est *Loebell*, praeceptor dilectissimus, quem per quatuor semestria scholis privatissimis consiliisque suis studia mea historica benevolum adiuvasse valde laetor.

THEMATA.

1) *Quid fuerint* πενταρχίαι, *ex analogia huius vocis cnm verbo* δεκαρχίαι *explicari nequit.*

2) *Errat Muellerus, qui Corcyraeos pugna navali ol. 28. 2. victores fuisse putat.*

3) *Sententia, quam Mannertus de Africa a Phoenicibus circumnavigata profert, non omni ex parte probanda est.*

4) *Non est, cur Romanorum exercitus, ut contendit Mommsenus, a 414. per Marsorum et Samnitum regiones proficisci non potuerint.*

5) *Ihnius de plebe Romana non recte iudicavit.*

6) *Comitia tributa iam regum temporibus instituta patriciisque inde ab eorum initio licitum fuit iis interesse.*

7) *Lex altera Valerii et Horatii ad dictaturam non pertinuit.*

8) *Lex Hortensia repetitio legis Publiliae.*



